

E P I C T E T V S.

315

tiam. Ita sanè gratias ritè egerimus Deo, pro quibus gratos nimirum ei nos esse oportet. Sed quales nunc sumus, ignoramus scilicet nos uulgo nihilo esse meliores. Est qui timet ne non potiatur imperio, itaque quid est, si tu unà nolis capessere magistratum, ô homo? Tu porrò ut irrides metuentē repulsæ, ita tibi ipsi illudito quoque abhorrentià magistratu gerendo. Nihil enim interest siue propter sitim plurimum sitias, atque desideres aquam, siue ut rabiosus ab aqua abhorreas. Aut (sic affectus) qui poteris ita cum Socrate loqui: Siquis dem ita uisum fuerit Deo, fiat sanè. An censes Socratem, si cupidus fuisset in Lyceo, aut Academia ociose uiuendi, ac disputandi quotidie cum adolescentibus, æquo animo fuisse laturum toties militem se legi, quoties nimirum profectus est in militiam, & non potius deploraturum, atque gemitibus in has erupturum uoces: O me miserum, infœlix periclitator ego ibi modò, cum potuisssem in Lyceo apicari. Num apicari tuum erat opus, & non potius secundis rebus, & ad uoluntatem tuam affluentibus uti? Absque coercione, absque impedimento uiuere? Qui uerò (ista sic deplorans) potuisset esse, pro eo ut fuit, Socrates? Quo potuisset modo scribere in carcere hymnos atque pœnas? Huius itaque fac sis memor, nimirū omne quicquid extra tuam fuerit uolūtatem, si magnifeceris, in causa esse ut libertatem amittas arbitrii tui. Extra te porrò est non modò magistratus, sed etiam priuatæ uitæ status, non modò negotium, uerumetiam ocium. At nunc uiuere in turba atque tumultu necesse est, cum multis conuersandum. Quamobrem molestè illud fers? Quin potius conuentum illum censebis esse Olympia, statuito solennem esse concionem in qua alius aliud quidpiam agat, alius in alium incitetur. Etiam in balneis est turba.

R 2 Quis